



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. Proponuntur extravagantes constitutiones huius tituli?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quæ interdicitur, vel Principis, aut Magistratus, qui in tali loco aut temporalem, aut spiritualem jurisdictionem exercet, & suâ malitiâ totam communitatem inficit. *cap. non est 11. de sponsalibus cap. si sententia 16. h. t. in 6. cap. sanè 21. de officio deleg.* Tollitur autem vel relaxatur interdictum, Primò quidem elapso tempore, ad quod positum est interdictum, vel positâ conditione, quam urget interdictum, ita ut ab Episcopo relaxari illud prius non possit per dispensationem, nisi interdictum proveniret ex delicto occulto, vel quod non esset ad forum contentiosum reductum, vel non esset specialiter reservatum, vel plus alicui concessum esset, per speciale privilegium &c. vide *Auth. Method.* hoc §.

§. VIII.

Proponuntur extravagantes constitutiones hujus tituli?

Videat harum expositiones, qui earum notitiam, paràm necessariam, habere cupit apud *Auth. Method.* hoc §.

§. IX.

De cessatione à divinis, quid & quomplex sit, & quomodo differat ab interdicto?

Cessatio à divinis, est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent, in certo loco à celebratione divinorum officiorum, & Sacramentorum administratione, nisi in quantum

necessitas postulat. Duplex autem hæc cessatio, generalis alia, alia particularis, eâ prope ratione, quâ de interdicto locuti fuimus. Differt tamen ab interdicto locali, Primò quòd cessatio hæc nec pœna sit propriè dicta, nec censura, sed nuda prohibitio in lignum gravissimi doloris, ex iniqua divina honoris læsione posita. Secundo quòd cessatio nullam in specie personam afficit, sicuti interdictum, quod respectu eorum, qui causam interdicti locali dederunt, interdictum personale dicitur. Tertiò quòd violans cessationem, graviter quidem peccet, non incurrit tamen irregularitatem, sicuti incurrit, qui violat interdicti censuram. Quarta quòd privilegia concessa circa interdictum extant, non debeant ad cessationem à divinis, cum à diversis ad diversa non sint lata, & quinto denique quòd tempore cessationis à divinis, concessa tamen mereant omnibus sepultura sacra, modo hæc fiat sine officiis funebribus, quæ cessationis tempore prohibita sunt: qui autem interdictum in locum aliquem ponere possunt, possunt etiam, ob delictum tamen gravissimum, cessationem à divinis ponere, ita ut violans interdum cessationem ipso facto sine excommunicationi, juxta *Clement. 1. §. in eo quod dicitur* verò generalibus h. t.

¶